



CAPVT XVI.
DE
SUCCESSIONE AD-
SCENDENTIVM ET
COLLATERALIVM.

GENERALIA CAPITIS.

1. Quoad adscendentium et collateralium successionem generalis regula est: *quicumque a primo acquirente sanguines non trahit, aut simultanee inuestitus non est, ille in feudum non succedit.*
2. Vbi ergo illius generis collaterales concurrunt, qui a primo acquirente descendunt, illi succedunt aequaliter, sicuti de iure communi, exclusis tantum, qui per feminas coniuncti, nisi feudum sit femininum.

1. *Succeduntne adscendentes in feudo?*

Neg. 2. F. 50. Liberis enim uasallus prospicere uoluit, non aliis. Vultei. *cap. 9. n. 101.*

2. *Quid in feudo antiquo?*

Hic regulariter casus dari non potest, quia hoc feudum per mortem demum patris ad filium deuoluitur. Struu. *cap. 9. th. 3. n. 2.* Si tamen casus detur, e. g. si pater in gratiam filii feudo antiquo renunciauerit, Ludwell. *Synops. pag. 250.* uel si auus, non contradicente filio, feudum in nepotem transtulerit, hic uero sine liberis decesse-